

**FACULTAS PHILOSOPHIÆ SOCIETATIS IESU
ZAGRABIENSIS**

**DE VERITATE HOMINISQUE INTELLIGERE
apud S. Thomam de Aquino
sive
quomodo veritas hominem liberat**

**Exercitium scriptum
ad Baccalaureatus gradum obtinendum**

**sub ductu professoris
dr. Ivan Macan, SI**

**a studioso
Željko Paša, SI
exaratum**

Zagravia 1996.

INDEX

INTRODUCTIO	3
1 DE VERITATE	4
1.1 Quid sit veritas?	4
1.2 Ubi veritas sit?	5
1.3 De falsitate	7
1.4 Origo et principium certitudinis cognitionis veritatis	10
2 DE ANIMA EIUSQUE POTENTIIS	17
2.1 Quomodo anima corpora unitur	17
2.2 Virtutes sive potentiae animae humanae	18
2.3 Genera animae potentiarum	20
2.3.1 Potentiae vegetativae	20
2.3.2 Potentiae sensitivae	20
2.3.3 Potentiae intellectivae	21
2.4 Operatio facultatum animae humanae	24
2.4.1 Quomodo anima, secundum praesentis vitae statum, intelligit corporalia?	24
2.4.2 Quomodo et quo ordine intellectus cognoscit?	26
2.4.3 Quid intellectus noster in materialibus cognoscit?	29
2.4.4 Quomodo anima intellectiva seipsam, stationes et operationes suas cognoscit?	30
2.4.5 Quomodo anima humana cognoscit ea quae supra se sunt?	31
3 INTELLIGERE	33
3.1 Processus cognitionis humanae	33
3.2 Cognitio	33
CONCLUSIO SIVE QUOMODO VERITAS HOMINEM LIBERAT	38
BIBLIOGRAPHIA	43

INTRODUCTIO

“Nec certam sedem, nec propriam faciem, nec munus ullum peculiare tibi dedimus, o Adam, ut quam sedem, quam faciem, quæ munera tute optaveris, ea, pro voto pro tua sententia, habeas. Definita ceteris natura intra præscriptas a nobis leges coercetur. Tu, nullis angustiis coercitus, pro tuo arbitrio, in cuius manu te posui, tibi illam præfinies. Medium te mundi posui, ut circumspiceres inde commodius quicquid est in mundo. Nec te cælestem neque terrenum, neque mortalem neque immortalem fecimus, ut tui ipsius quasi arbitrarius honorariusque plastes et fector, in quam malueris tute formam effingas. Poteris in inferiora quæ sunt bruta degenerare; poteris in superiora quæ sunt divina ex tui animi sententia regenerari.”¹

Audiens verba ista e ‘Genesi’ præ magnitudine officii ipsi concredit homo spiritu deficere videtur, ideo eadem sunto introductio in laborem meum quo id quod hominem maxime determinat et definit exponere desidero; **cognitionem** – nempe qua homo in contactum cum mundo et realitate circa se venit – et **veritatem**. Per cognitionem homo accipit vel veros vel falsos nuntios de mundo in quo est, et istæ cognitiones eum profunde in radice entis eius formant et determinant. Hanc realitatem contemplabimus in interpretatione S. Thomæ de Aquino.

Disputatio in tres partes dividitur: In **parte prima** considerantur veritas et falsitas. **Secunda pars** disputat de facultatibus intellectivis animæ humanæ. **Tertia pars** considerat ipsam cognitionem. Finiemus cum disputatione quomodo veritas hominem liberet.

In nostra recensione procedamus ab Augustini dicto: “Iste mundus nobis notus esse non potest, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset.”²

¹ G. Pico della MIRANDOLA; *Oratio de hominis dignitate*, pg. 4-6

² A. AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, XI, 10

1 DE VERITATE

1.1 Quid sit veritas?

In Quæstione disputatia – *De veritate* Thomas de Aquino docet³ in anima esse vim cognitivam et appetitivam. Convenientiam entis ad appetitum exprimit nomen *bonum*. Bonum est quod omnia appetunt⁴. Convenientia vero entis ad intellectum exprimitur nomine veri. Omnis autem cognitio perficitur per assimilationem cognoscentis ad rem cognitam, ita ut assimilatio dicta sit causa cognitionis.

Comparatio entis ad intellectum talis est ut ens intellectui correspondeat: quæ quidem correspondentia adæquatio rei et intellectus dicitur, et in hoc formaliter ratio veri perficitur. Hoc est ergo quod verum supra ens addit, conformitatem scilicet, sive adæquationem rei et intellectus. Quam conformitatem, ut dictum est, cognitio rei sequitur. Sic ergo entitas rei rationem veritatis præcedit, sed cognitio est quidam veritatis effectus. Sicut bonum nominatur id ad quod tendit appetitus, ita verum nominatur id in quod tendit intellectus. Hoc autem distat inter appetitum et intellectum, sive quamcumque cognitionem, quod cognitio est secundum quod cognitum est in cognoscente. Appetitus autem est secundum quod appetens inclinatur in ipsam rem appetitam. Et sic terminus appetitus, quod bonum est, in re appetibili est, sed terminus cognitionis, quod verum est, in ipso intellectu est.

Bonum est in re, inquantum ordinem ad appetitum habet, et propter hoc ratio bonitatis derivatur a re appetibili in appetitu; differentia est, secundum quod appetitus dicitur bonus, prout est boni. Ita, cum verum sit in intellectu secundum quod conformatur rei intellectæ, ratio veri ab intellectu ad rem intellectam vera dicitur, secundum quod habet aliquem ordinem ad intellectum.

³ Cf. *De verit.* q.1 a.1; *Sth* 1. q.16 aa.1, 3

⁴ Cf. "Omnis ars omnisque docendi via atque institutio, itemque actio et consilium, bonum aliquod appetere videtur. Id circa pulchre veteres id esse bonum pronuntiarunt, quod omnia appetunt." ARISTOTELIS, *Ethicorum ad Nicomachum*, 1094a

Res intellecta ad intellectum aliquem potest habere ordinem vel per se vel per accidens. Per se quidem habet ordinem ad intellectum a quo dependet secundum suum esse. Per accidens autem ad intellectum a quo cognoscibilis est.

Aquinas per conformitatem intellectus et rei veritatem definit.⁵ Unde conformitatem istam cognoscere est veritatem cognoscere. Quam autem sensus nullo modo cognoscit.

Omnis res est vera secundum quod propriam formam naturæ suæ habet. Necesse est ut intellectus, inquantum est cognoscens, sit verus inquantum habet similitudinem rei cognitæ, quæ est forma eius inquantum est cognoscens.⁶

Intellectus cognoscit hoc modo ut speciem rei cognitæ in se accipiat. Quæ species naturæ spiritualis oportet esse, quia ratio vis spiritualis est. In intentione S. Thomæ cognitio consistit in hoc quod ratio intellectualis – spiritualis – dicit quid res est: intellectus cognoscens ‘quod quid est’, scilicet aliquod prædicatum rei suæ predicatum esse essentiale vel non essentiale. Aquinatis terminus “intellectus cognoscens quod quid est” non significat “intellectus cognoscens essentiam” sed “intellectus cognoscens aliquid, quod res est” scilicet intellectus, qui aliquid cognoscit, quid res est; ergo quodlibet prædicatum rei.

1.2 Ubi veritas sit?

Aquinas respondit quod sicut verum principaliter in intellectu quam in rebus invenitur, ita etiam primo invenitur in actu intellectus componentis et dividentis quam in actu intellectus quidditates rerum formant. Veri enim ratio consistit in adæquatione rei et intellectus; idem autem non adæquatur sibi ipsi, sed æqualitas diversorum est unde ibi primo intellectus incipit aliquid proprium habere quod res extra animam non habet, sed aliquid ei correspondens, inter quæ adæquatio attendi potest.

⁵ Cf. *Sth* 1. q.16 a.2c

⁶ *Sth* 1. q.16 a.2c; Cf. *De verit.* q.1 a.3, 9; *Cont. Gent.* 1, 59

Intellectus autem formans quidditates, non habet nisi similitudinem rei existentis extra animam, sicut et sensus in quantum accipit speciem rei sensibilis. Sed quando incipit iudicare de re apprehensa, tunc ipsum iudicium intellectus est aliquid proprium ei, quod non invenitur extra in re. Sed quando adæquatur ei quod est extra in re, dicitur iudicium verum esse. Tunc autem iudicat intellectus de re apprehensa quando dicit quod aliquid est vel non est, quod est intellectus componentis et dividentis.⁷

Hanc doctrinam in Summa theologiae Thomas perficit. Etenim ille scripsit Quæstionem disputatam – De veritate (circa 1256–1259) 8 annos antequam scribebat articulum dictum Summæ Theologicæ (post a. 1266).⁸ Non memorat suas pristinas theses veritatem esse aliquid proprium intellectus, quod potest esse extra intellectum in rebus. Nunc dicit tantum hoc quod intellectus habet speciem rei cognitæ. Veritas definitur ut similitudo intellectus et rei. Cum omnis res sit vera secundum quod habet propriam formam naturæ suæ, necesse est ut intellectus, inquantum est cognoscens, sit verus inquantum habeat similitudinem rei cognitæ, quæ est forma eius inquantum est cognoscens.⁹ Ex hoc concludit: “Conformatatem istam cognoscere est cognoscere veritatem.”¹⁰ Aquinas non quærerit utrum hæc conformitas sit aliquid quod pertinet ad intellectum, talis vis intellectus potest esse tantum in intellectu. Thomas interrogat in quibus actibus potest esse veritas, in quibus autem veritas cognita.

Intellectus conformitatem suam cum re intelligibili cognoscere potest, sed tamen non apprehendit eam secundum quod cognoscit de aliquo quod quid est. Sed quando iudicat rem ita se habere sicut est forma quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit et dicit verum. Et hoc facit componendo et dividendo. Nam in omni propositione aliquam

⁷ Cf. *De verit.* q.1 a.3; Cf. ib. a.9; *Sth* 1. q.16 a.2; *Cont. Gent.* 1, 59

⁸ Cf. F. ŠANC, *Povijest filozofije II*, pg. 214; F. C. COPLESTON, *Aquinas*, pg. 17-72; F. KOPLSTON, *Istorija filozofije - srednjovekovna filozofija*, pg. 304-213; T. AKVINSKI, *Izabrano djelo*, pg. 10-27.

⁹ Cf. *Sth* 1. q.16 a.2c

¹⁰ Ib.

formam significatam per prædicatum aut applicat alicui rei significatae per subiectum aut removet ab ea.”¹¹

Huiusmodi Aquinas concludit quod veritas non est tantum in iudicio, sed etiam in conceptibus, quibus nihil iudicatur. Cognoscere veritatem potest tantum ille, qui iudicat. Cognita – non tantum possessa – veritas, est veritas ad perfectum modum. Sensus est verus de aliqua re, vel intellectus cognoscendo quod quid est, sed ut cognoscat vel dicat verum. Veritas autem potest esse in sensu, vel in intellectu cognoscentis quod quid est, ut in quadam re vera, non autem ut cognitum in cognoscente, quod importat nomen veri, perfectio enim intellectus est verum et cognitum. Et ideo, proprie loquendo, “veritas est in intellectu componente et dividente: non autem in sensu, neque in intellectu cognoscente *quod quid est*.”¹²

1.3 De falsitate

Ex dicto de veritate, manifestum est, etiam quid sit falsitas, et in quo actu consita sit. Falsitas est in hoc quod vis cognoscitiva agit species de aliis rebus, quae non adæquantur rebus. Aquinas querit de falsitate: utrum sit in rebus, utrum sit in sensu vel in intellectu et quae sit oppositio veri et falsi. Thomæ responsum ad quæstionem primam est: “res quidem simpliciter falsa dici posset per comparationem ad intellectum a quo dependet, cui comparatur per se, in ordine autem ad alium intellectum, cui comparatur per accidens, non posset dici falsa nisi secundum quid. Per ordinem ad intellectum nostrum, ad quem comparantur res naturales per accidens, possunt dici falsæ, non simpliciter sed secundum quid. Et hoc duplicitate. Uno modo, secundum rationem significati: ut dicatur illud esse falsum in rebus, quod false significatur vel repræsentatur oratione vel intellectu. Alio modo per modum causæ. Et sic dicitur rem esse falsam, quæ nata est facere de se opinionem falsam.”¹³

¹¹ Cf. *De verit.* q.1 aa.3, 9; *Cont. Gent.* 1, 59

¹² *Sth* 1. q.16 a.2c

¹³ *Sth* 1. q.17 1c; Cf. *De verit.* q.1 a.10

Falsitas non est quærenda in sensu, nisi sicut ibi est veritas. Veritas autem non sic est in sensu, ut sensus cognoscat veritatem, sed inquantum veram apprehensionem habet de sensibilibus. Quod quidem contingit eo quod apprehendit res ut sunt. “Unde contingit falsitatem esse in sensu ex hoc quod apprehendit vel iudicat res aliter quam sint. Sic autem se habet ad cognoscendum res, inquantum similitudo rerum est in sensu.”¹⁴

Sicut res habet esse per propriam formam, ita virtus cognoscitiva habet cognoscere per similitudinem rei cognitæ. Unde, sicut res naturalis non deficit ab esse quod sibi competit secundum suam formam, potest autem deficere ab aliquibus accidentalibus vel consequentibus, ita virtus cognoscitiva non deficit in cognoscendo respectu illius rei cuius similitudine informatur; potest autem deficere circa aliquod consequens ad ipsam, vel accidens ei.

Intellectus informatur similitudine quidditatis rei. Unde circa quod quid est intellectus non decipitur: sicut neque sensus circa sensibilia propria. In componendo vero vel dividendo potest decipi, tribuendo rei, cuius quidditatem intelligit, aliquid quod eam non consequitur, vel quod ei opponitur.

Intellectus vero falsitas per se solam circa compositionem intellectus est, per accidens etiam in operatione intellectus quia cognoscit quod quid est, potest esse falsitas, inquantum ibi compositio intellectus admiscetur.¹⁵

Verum et falsum opponuntur ut contraria, et non sicut affirmatio et negatio, sicut enim verum ponit acceptationem adæquatam rei, ita falsum acceptationem rei non adæquatam. Unde manifestum est quod verum et falsum sunt contraria.¹⁶

Ex hucusque dictis manifestum est secundum quod ipsa una, æterna, immutabilis veritas est, et secundum quod non. Quodammodo una est veritas, qua omnia sunt vera, et quodammodo non. Veritas per prius est in intellectu, et per posterius in rebus,

¹⁴ *Sth* 1. q.17 a.2; Cf. ib. q.85 a.6; *De verit.* q.1 a.2

¹⁵ Cf. *Sth* 1. q.17 a.3c; ib. q.58 a.5; q.85 a.6; *De verit.* q.1 a.12; *Cont. Gent.* 1,59, 3,108

¹⁶ Cf. *Sth* 1. q.17 a.4c

secundum quod ordinantur ad intellectum divinum. Si ergo loquimur de veritate prout existit in intellectu, secundum propriam rationem, sic in multis intellectibus creatis sunt multæ veritates; etiam in uno et eodem intellectu, secundum plura cognita. Si loquimur de veritate secundum quod est in rebus, sic omnes veritates sunt veræ cum una prima veritate, cui unumquodque assimilatur secundum suam entitatem. Et sic, licet plures sint essentiæ vel formæ rerum, tamen una est veritas divini intellectus, secundum quam omnes res denominantur veræ.¹⁷

Res denominantur veræ a veritate intellectus. Unde si nullus intellectus esset æternus, nulla veritas esset æterna. Sed quia solus intellectus divinus est æternus, in ipso solo veritas æternitatem habet.

Quod aliquid esse semper et ubique, potest intelligi dupliciter: Uno modo, quia habet in se unde se extendat ad omne tempus et ad omnem locum, sicut Deo competit esse ubique et semper. Alio modo, quia non habet in se quo determinetur ad aliquem locum vel tempus. Et per hunc modum, quodlibet universale dicitur esse ubique et semper, inquantum universalia abstrahunt ab hic et nunc. Sed ex hoc non sequitur ea esse æterna nisi in intellectu, si quis sit æternus.

“Illud quod nunc est, ex eo futurum fuit antequam esset quia in causa sui erat ut fieret. Unde, sublata causa, non esset futurum illud fieri, sola autem causa prima est æterna. Unde ex hoc non sequitur quod ea quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit ut essent futura quæ quidem causa solus Deus est.”¹⁸

Quia intellectus noster non est æternus, nec veritas enuntiabilium quæ a nobis formatur, est æterna, sed quandoque incepit. Et antequam huiusmodi veritas esset, non erat verum dicere veritatem talem non esse, nisi ab intellectu divino, in quo solum veritas est æterna. Sed nunc verum est dicere veritatem tunc non fuisse.¹⁹

¹⁷ Cf. *Sth* 1 q.16 a.6c; *De veritat.* q.1 a.4; *Cont Gent.* 3, 47

¹⁸ *Sth* 1. q.16 a.7 ad 3

¹⁹ Ib. ad 4

Mutabilitas veritatis consideranda est circa intellectum. Cuius quidem veritas in hoc consistit, quod habeat conformitatem ad res intellectas. Quae quidem conformitas variari potest dupliciter, sicut et quaslibetalia similitudo, ex mutatione alterius externi. Unde uno modo variatur veritas ex parte intellectus, ex eo quod de re eodem modo se habente aliquis aliam opinionem accipit: alio modo si, opinione eadem manente, res mutetur. Et utroque modo fit mutatio de vero in falsum.

Si ergo sit aliquis intellectus in quo non possit esse alternatio opinionum, vel cuius acceptio non possit subterfugere res aliqua, in eo est immutabilis veritas. Talis autem est intellectus divinus. Unde veritas divini intellectus est immutabilis. Veritas autem intellectus nostri mutabilis est. Non quod ipsa sit subiectum mutationis: sed in quantum intellectus noster mutetur de veritate in falsitatem: sic enim formae mutabiles dici possunt. Veritas autem intellectus divini est secundum quam res naturales dicuntur veræ, quae est omnino immutabilis.²⁰

1.4 Origo et principium certitudinis cognitionis veritatis

Omnis cognitio est vel directa vel indirecta. Secundum Aquinatem omnes veritates sunt cognoscibiles vel directe vel indirecte, sed certe cognoscuntur, sine dubio. Instrumentum per quod fit hæc cognitio vera est argumentatio (argumentum). Per argumentum habemus certitudinem cognitionis veritatis: si scimus argumentum rectum esse et præmissæ certe veræ sunt. Quando argumentum rectum est, logica dicit. Sed quomodo possumus habere præmissas certe cognitas, quæstio est. Quomodo præmissæ possunt esse, demonstratæ manifestum est. Sed præmissæ primarii syllogismi non possunt esse demonstratæ, quia hoc modo syllogismi primi non essent. Argumentatio in infinitum impossibilis est. Ergo, aliquæ præmissæ debent esse certe cognitæ sine arguento. Quantæ sunt hæc immediatae veritates certæ, et quæ sunt, alia quæstio est. Quod sunt hæc certe veritates, et quæ sunt, quæstio incerta est. Multa sunt principia quibus argumenta declarantur et hæc principia sunt fundamentum et origo scientiæ. Ab

²⁰ Cf. *Sth* q. q.16 a.8c; *De verit.* q.1 a.6

eorum certitudine dependet omnis certitudo. Certitudo scientiæ tota orta est ex certitudine principiorum, tunc enim conclusiones per certitudinem cognoscuntur quando resolvuntur in principia. Et ideo, “quod aliquid per certitudinem sciatur, est ex lumine rationis divinitus interius indito, quo in nobis loquitur Deus: non autem ab homine exterius docente, nisi quatenus conclusiones in principia resolvit, nos docens. Ex quo tamen nos certitudinem scientiæ non acciperemus, nisi inesset nobis certitudo principiorum, in quæ conclusiones resolvuntur.”²¹

Certitudo, ergo, horum principiorum, ex quibus conclusiones resolvuntur non potest accipi per alia, sed a veritate prima, aut, principia omnis homo debet habere in se. Sine auctoritate aliorum. Hæc principia, ut dicit S. Thomas, sunt vox Dei, quia solus Deus dedit nobis rationem. Thomas memorat doctrinam S. Augustini secundum quam cognoscimus has veritates aliqua speciali illuminatione Divina. Thomas dicit Deum nos illuminare per rationem. Ad quæstionem utrum Deus operetur in operante Thomas respondet quod “Deus movet intellectum creatum, inquantum dat ei virtutem ad intelligendum vel naturalem vel superadditam; et inquantum imprimet ei species intelligibiles: et utrumque tenet et conservat in esse.”²² Generatim Deus etiam dat formas creaturis agentibus, et eas tenet in esse et ipse Deus sit cuiuslibet operationis causa ut finis.²³ Hæc omnia valent et pro cognitione principiorum, quæ cognoscimus cum certitudine sine argumentatione. Si hæc principia non essent certa nec demonstrata, homo maneret sine nulla cognitione et omnis scientia impossibilis esset. Ideo dicit Aquinas: “Communes animi conceptiones habent aliquid commune cum aliis principiis demonstrationis, et aliquid proprium. Commune quidem habent, quia necesse est tam ista, quam alia principia per se esse vera. Proprium autem est horum principiorum quod non solum necesse est ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri quod per se sint vera.”²⁴ Hæc sunt ultima vel altissima principia vel origo scientiæ totius. Hæc sunt

²¹ *De verit.* q.11 a.1 ad 13; Cf. *Sth* 1. q.117 a.1; *Cont. Gent.* 2,75

²² *Sth* 1. q.105 a.3c; Cf. ib. 1-2 q.109 a.1

²³ *Sth* 1. q.105 a.5c

²⁴ In *I Posteriorum analyticorum expositio*, lect 19.

iudicia analytica, quæ composita sunt ex conceptibus qui sunt omnibus noti et clari. Aquinas accipit dictum “communis animi conceptio” a Boethio²⁵, qui dicit: “Communis animi conceptio est enuntiatio quam quisque probat auditam.”²⁶ Boethius distinguit duos ordines harum propositionum vel dictorum vel iudiciorum. “Quædam enim animi conceptiones sunt communes hominibus omnibus, sicut ista, si ab æqualibus æqualia auferas, quæ relinquuntur sunt æqualia. Alia vero animi conceptio est communis solum dictus, quæ derivatur a primis animi conceptionibus, quæ sunt omnibus hominibus communes; et huiusmodi est: incorporalia non esse in loco, quæ non approbatur a vulgo, sed solum a sapientibus.”²⁷ Boethii verba Aquinas interpretatur hoc modo: “Communis animi conceptio est enuntiatio quam quisque probat auditam, idest quam quilibet approbat statim ut eam audit. Aliæ enim propositiones quæ his demonstrantur, non statim ex ipso auditu approbantur, sed oportet ut per alia aliqua fiant nota. Hoc autem non est procedere in infinitum. Unde oportet pervenire ad aliqua quæ statim per se sunt nota. Unde dicuntur communes animi conceptiones, et communiter cadunt in conceptione cuiuslibet intellectus: cuius ratio est, quia prædicatum est de ratione subiecti; et ideo statim nominato subiecto, et intellecto quid sit, statim manifestum est prædicatum ei inesse.”²⁸

In Summa Theologica Aquinas non scribit “conceptio animi communis” sed “veritas per se nota” et quidem non agit tantum de illis duobus generibus, quæ cognovimus apud Boethium, verum adiecit illa iudicia, quorum prædicatum pertinet ad conceptionem subiecti, sed nos istud non cognoscimus. “Contingit aliquid esse per se notum dupliciter: uno modo secundum se et non quoad nos. Alio modo, secundum se et quoad nos. Ex hoc enim aliqua propositio est per se nota, quod prædicatum includitur in

²⁵ Severinus Boethius, philosophus christianus natus Romæ circa a. 480. Papiæ a. 526. Aristotelis traductor et vulgator. Communiter inter realistas moderatos ponitur. Plures definitiones ab ipso traditæ celeberrimæ, tanquam auctoritative effata, in scholis evaserunt. Opera: *De consolatione philosophi*; *De hebdomadibus*; *De Trinitate*.

²⁶ In Boethii *de hebdomadibus*, Ic 1

²⁷ Ib.

²⁸ Ib.

ratione subiecti. /.../ Si igitur notum sit omnibus de prædicato et de subiecto quid sit, propositio illa erit omnibus per se nota; sicut patet in primis demonstrationum principiis, quorum termini sunt quædam communia quæ nullus ignorat, ut ens et non ens, totum et pars, et similia. Si autem apud aliquos notum non sit de prædicato et subiecto quid sit, propositio quidem quantum in se est, erit per se nota, non tamen apud illos qui prædicatum et subiectum propositionis ignorant.^{”29} Aliquod dictum, ergo, potest esse “conceptio communis” vel “veritas per se nota” quia istud nemo scit, et fortasse nemo id sciет.

Originem certitudinis et claritatis primorum, non directorum principiorum omnis cognitionis, Aquinas significat lumen intellectus nostri et in hoc videt diversitatem essentialeм inter hæc principia et petitiones et suppositiones triviales: “Petitio et suppositio exteriori ratione confirmari possunt, id est argumentatione aliqua. Sed communis animi conceptio non est ad exterius rationem, quia non potest probari per aliquam argumentationem, sed est ad eam, quæ est in anima, quia lumine naturalis rationis statim fit nota.”^{”30}

Quocum concordat doctrina quæ tribuitur S. Thomæ de interna ratione omnis certitudinis.^{”31} Alexius Ušeničnik Thomæ doctrinam tribus thesibus comprehendit.

Prima: “Reflexionem completam revera esse propriam menti nostræ.” Sane mens potest uno actu reflectere supra alium actum. Sic intellectus intelligit lapidem et intelligit se intelligere lapidem, alio et alio actu.^{”32} Hæc est reflexio incompleta. Attamen menti nostræ propria est perfectior omnino reflexio, scilicet reflexio, qua mens reddit perfecte et complete supra suum actum, immo aliquo modo et supra se. “Illa, quæ sunt perfectissima in entibus, dicit Thomas, redeunt ad essentiam suam reditione completa.”^{”33} Oculis videt, sed non potest videre se videre. Homo videt vel potius sentit

^{”29} Cf. *Sth* 1. q.2 a.1c; *Cont. Gent.* 1, 10, 11; *De verit.* q.10 a.12

^{”30} In *I Poster analyt.* Ic.19 initio

^{”31} *Acta secundi congressus thomistici internationalis*, pg. 91-96

^{”32} Cf. *Sth* 1. q.28 a.4 ad 2, q.87 a.3 ad 2,

^{”33} *De verit.* q.1 a.9

se videre per actum superioris potentiae. Oculus non potest videre se videre, quia est materialis et non potest supra seipsum totaliter reflectere. “Intellectus autem supra seipsum agendo reflectitur, intelligit enim seipsum non solum secundum partem, sed secundum totum”³⁴ Intellectus noster non tantum potest redire actu supra actum, sed potest teste Aquinate eadem operatione intelligere intelligibile et intelligere se intelligere. “Eadem operatione intelligo intelligibile et intelligo me intelligere.”³⁵ Hæc est reflexio completa.

In hoc actu subiectum, quod cognoscit, cognoscit seipsum et suum esse, cum altissima certitudine: “Nullus potest cogitare se non esse cum assensu: in hoc enim quod cogitat aliquid, percipit se esse.”³⁶ Per hoc intellectus noster est similis intellectui Divino. Sed differentia essentialis est: “Deus per suam essentiam non solum seipsum, sed etiam omnia intelligit... /sed intellectus noster/ ex seipso habet virtutem ut intelligat, non autem ut intelligatur , nisi secundum id quod fit actu”.³⁷ Cum Deus est actus purus et propterea actu et perfecte semper sibi præsens, anima nostra per se est in potentia tantum ad intelligendum, quæ potentia actuatur per species a sensibilibus abstractas. Quare anima nostra immediate non se cognoscit nisi actu cogitantis ut cogitantis; naturam vero suam intimam non potest cognoscere nisi per conclusiones ‘ex actu intellectus’³⁸.

Alia thesis: “Assertum secundum: Hæc menti nostræ propria facultas reflectendi supra suos actus et semetipsam summi momenti est pro vindicanda vera certitudine cognitionis nostræ.”³⁹ Prima ratio est quod “Quare nullus hic possibilis error, nullum possibile dubium. Possibilitas erroris et dubii supponit possibilitatem inadæquationis inter cognoscentem et cognitum, inter intellectum et rem. Sed nulla possibilis est

³⁴ *Cont. Gent.* 2, 49

³⁵ *In I Sent.* d.1 q.2 a.1 ad 2

³⁶ *De verit.* q.16 a.12 ad 7

³⁷ *Sth* 1. q.87 a.1c; Cf. ib. q.14. a.2 ad 3; *De verit.* q.8 a.6: q.10 a.8; *Cont. Gent.* 2,75, 3,46

³⁸ Cf. ib. et parall. q.14 a.2 ad 3; *De verit.* q.8 a.6; q.10 a.8; *Cont. Gent.* 2,27; 3,46

³⁹ *Acta.* pg. 93

inadæquationis, ubi intellectio eo ipso, quod est intellectio, est intellectio sui, ubi visio eo ipso, quod est visio, est visio sui, præsens sibi talis, qualis revera est.^{”40} Non ipsum suum esse, sed suam naturalem facultatem veritatis cognoscendæ, intellectus cognoscit in actu suo. “Per reflexionem completam mens in cognoscendo simul cognoscit se habere facultatem cognoscendi seu intellectum natura sua esse ordinatum ad verum cognoscendum. Ita etiam omnino intelligendus esse videtur ille textus S. Thomæ: “Cognoscitur (veritas) ab intellectu, secundum quod intellectus reflectitur supra actum suum, non solum secundum quod cognoscit actum suum, sed secundum quod cognoscit proportionem eius ad rem, quod quidem cognosci non potest, nisi cognita natura ipsius actus; quæ cognosci non potest, nisi cognoscatur natura principii activi, quod est ipse intellectus, in cuius natura est ut rebus conformetur; unde secundum hoc cognoscit veritatem intellectus, quod supra seipsum reflectitur.”⁴¹

Item per talem introspectionem seu intuitum sui mens videt, quomodo actus cognitionis ut talis a se peraguntur. Sic, ut dicit S. Thomas⁴², “experimento cognoscimus” nos abstrahere formas universales a conditionibus particularibus. Præprimis in perceptione ipsius subjecti cogitantis natura cognitionis nostræ aperte manifestatur. Tota igitur Criteriologia in illa prima certitudine fundatur. Huiusmodi Ušeničnik demonstravit suam secundam thesim.

Tertia thesis est: “Admissa doctrina de reflexione completa difficultates illæ gravissimæ facile solvuntur.”⁴³ Ecce hæ difficultates: Prima, de criterio veritatis: Si quærenda norma normæ, numquam possumus venire ad certam ultimam cognitionem. Si autem habemus reflexionem completam, in ea non est quærenda nova norma.

⁴⁰ Ib. pg. 94

⁴¹ *De verit.* q.1 a.9c

⁴² Cf. *Sth* 1 q.79 a.4c

⁴³ *Acta.* pg. 96

I. De veritate

Alia, de evidentia: Si in evidentia semper quæranda ratio externa, numquam possumus venire ad totam evidentiam. Si est reflexio completa, in ea ultima ratio evidentiæ est.

Tertia, de organizatione intellectus: Si est reflexio completa, impossibilis est organizatio intellectus per quam numquam possimus scire, utrum cognitio nostra vera est. Stat thesis qua philosophus slovenicus Alexius Ušeničnik comprehendit doctrinam Aquinatis de Criteriologia.

Hoc modo generatim finita est expositio S. Thomæ de universali philosophia veritatis vel de universali critica intellectus.

2 DE ANIMA EIUSQUE POTENTIIS

2.1 Quomodo anima corpora unitur

Anima non est ipse motus corporis, sed eius forma substantialis. Intellectus – intellectualis operationis principium – est humani corporis forma. Primum quo corpus vivit, est anima. Et cum vita manifestetur secundum diversas operationes in diversis gradibus viventium, id quo primo operamur unumquodque horum operum vitae, est anima. “Anima enim est primum quo nutrimur, et sentimus, et movemur secundum locum; et similiter quo primo intelligimus. Hoc ergo principium quo primo intelligimus, sive dicatur intellectus sive anima intellectiva, est forma corporis.”⁴⁴ Si quis autem velit dicere animam intellectivam non esse corporis formam, oportet quod inveniat modum quo ista actio quae est intelligere sit huius hominis actio; experitur enim unusquisque seipsum esse qui intelligit.

Omnis homo suam singularem animam habet, non omnes unam quia impossibile est intellectum esse unum omnium hominum omnino sicut impossibile est quod eorum sit unum esse, nam forma est essendi principium.⁴⁵

Omnis homo unam animam habet quae est una vegetativa et sensitiva et intellectiva. Anima corpori unitur sicut forma, ideo omnino impossibile est plures animas per essentiam differentes in uno corpore esse quia una operatio animae. “Sic igitur anima intellectiva continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiva brutorum et nutritiva plantarum.”⁴⁶

Præterea anima est sola forma substantialis in homine. Anima intellectiva unitur corpori ut forma substantialis, qua propter impossibile est ut aliqua alia forma substantialis præter eam inveniatur in homine. Ad cuius evidentiam, considerandum est quod forma substantialis in hoc a forma accidentalis differt, quia forma accidentalis non

⁴⁴ *Sth* 1. q.76. a.2c; Cf. *Cont. Gent.* 2. 56, 57, 59, 68

⁴⁵ Cf. *Sth* 1. q.76 a.2c; *Cont. Gent.* 2. 73, 75

⁴⁶ *Sth* 1. q.76 a.3c; *Cont. Gent.* 2. 58

dat esse simpliciter, sed esse tale, (v.gr. sicut calor facit suum subiectum non simpliciter esse, sed esse calidum). Forma substantialis dat esse simpliciter. “Si igitur ita esset, quod præter animam intellectivam præexisteret quæcumque alia forma substantialis in materia, per quam subiectum animæ esset ens actu: sequeretur quod anima non daret esse simpliciter; et per consequens quod non esset forma substantialis. /.../ Quæ sunt manifeste falsa.”⁴⁷

Anima nostra unitur corpori ut forma, in toto corpore, et in qualibet parte corporis. Id est forma substantialis, substantialis autem forma est perfectio non solum totios, sed cuiuslibet partis.⁴⁸

2.2 Virtutes sive potentiae animæ humanæ

Thomas in primis solvit aliquas quæstiones universales, de his quæ pertinent ad potentias animæ in generali: Utrum essentia animæ sit eius potentia? Utrum sit una tantum potentia animæ, vel plures? Quomodo potentiae animæ distinguantur? De ordine ipsarum ad invicem. Utrum anima sit subiectum omnium potentiarum? Utrum potentiae fluant ab essentia animæ? Utrum potentia una oriatur ex alia? Utrum omnes potentiae animæ remaneant in ea post mortem?⁴⁹

Ad primam et principalem quæstionem Aquinas respondit quod impossibile est dicere essentiam animæ esse eius potentiam. Hoc duplice ostenditur: *Primo quia*, cum potentia et actus decidunt ens et quodlibet genus entis, oportet quod ad idem genus referatur potentia et actus. Et ideo, si actus non est in genere substantiæ, potentia quæ dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantiæ. *Secundo*, si ipsa essentia animæ esset immediatum operationis principium, semper habens animam actu haberet opera vitæ.⁵⁰

⁴⁷ *Sth* 1. q.76 a.4c; Cf. *Cont. Gent* 4, 81

⁴⁸ Cf. *Sth* 1. q.76 a.8c; *Sent.* 1 d.8 q.5 a.3; *Cont. Gent.* 2,72

⁴⁹ Cf. *Sth* 1. q.77 initio.

⁵⁰ Cf. *Sth* 1. q.54 a.3c, q.77 a.2c; *Sent.* 1 d.3 q.4 a.2

Anima humana non habet unam tantum potentiam sed ponendae sunt plures earum. “Multis et diversis operationibus et virtutibus indiget anima humana. Angelis vero minor diversitas potentiarum competit. In Deo vero non est aliqua potentia vel actio, praeter eius essentiam.”⁵¹

Potentiæ discernuntur in actibus ad quos ordinantur: Potentia, secundum illud quod est potentia, ordinatur ad actum. Unde oportet rationem potentiae accipi ex actu ad quem ordinatur, et per consequens oportet quod ratio potentiae diversificetur, ut diversificatur ratio actus. Ratio autem actus diversificatur secundum diversam rationem obiecti. “Sic igitur non quæcumque diversitas obiectorum diversificat potentias animæ, sed differentia eius ad quod per se potentia respicit.”⁵² Inter potentias animæ est aliquis ordo. Hoc sequitur ex hoc quod anima sit una, potentiae vero plures; ordine autem quodam ab uno in multitudinem proceditur. Subiectum animæ potentiarum in aliquibus est anima sola, in aliis autem anima est una cum corpore. Habemus, autem, operationes animæ, quæ exercentur per organa corporalia (sicut visio per oculum, et auditus per aurem) et quædam operationes animæ, quæ exercentur sine organo corporali (ut intelligere et velle).

Potentiæ quæ sunt operationum principia quæ exercentur sine organo corporali, sunt in anima sicut in subiecto. Potentiæ quæ sunt operationum principia quæ exercentur per organa corporalia, sunt in coniuncto sicut in subiecto, et non in anima sola.⁵³ Omnes potentiae animæ, sive subiectum earum est anima sola, sive compositum, fluunt ab essentia animæ sicut a principio, quia accidentis causatur a subiecto secundum quod est actu, et recipitur in eo in quantum est in potentia.⁵⁴ Tamen una potentia de alia dependet in sua origine quia inter potentias animæ est multiplex ordo. Una potentia animæ ab essentia animæ procedit mediante alia. Imperfectiores potentiae sunt priores.⁵⁵

⁵¹ *Sth* 1. q.77 a.2c

⁵² Cf. ib. a.3c

⁵³ Cf. ib. a.5c

⁵⁴ Cf. ib. a.6c

⁵⁵ Cf. ib. a.7c

Post destructionem, potentiae non manent in anima ad eundem modum. Quædam potentiae comparantur ad animam solam sicut ad subiectum (ut intellectus et voluntas) et haec potentiae manent in anima, corpore destructo. Quædam vero potentiae sunt in coniuncto sicut in subiecto, (sicut omnes potentiae partium sensitivæ et nutritivæ). Destructio autem subiecto, non potest accidens remanere. Unde, corrupto coniuncto, non manent huiusmodi potentiae actu, sed virtute tantum manent in anima, sicut in principio vel radice.⁵⁶

2.3 Genera animæ potentiarum

Thomas distinguit vegetativas, sensitivas et intellectivas potentias.

2.3.1 *Potentiae vegetativæ*

Tres sunt potentiae vegetativæ partis, quia vegetativum habet pro obiecto ipsum corpus vivens per animam, ad quod quidem corpus triplex animæ operatio est necessaria:

Una quidem, per quam esse acquirat – ad hoc ordinatur potentia *generativa*. Alia per quam corpus vivum acquirit debitam quantitatem – ad hoc ordinatur vis *augmentativa*. Alia vero, per quam corpus viventis salvatur et in esse, et in quantitate debita – ad hoc ordinatur vis *nutritiva*.⁵⁷

2.3.2 *Potentiae sensitivæ*

Potentiae sensitivæ sunt aliæ exteriore aliæ vero interiores. Exteriores sensus (potentiae) sunt: visus, auditus, gustus, tactus, olfactus. Interiores sensus sunt:

⁵⁶ Cf. ib. a.8c; *Cont. Gent.* 2, 81

⁵⁷ Cf. *Sth* 1. 78. 2c; *Cont. Gent.* 4, 58

- *sensus communis*, quo homo varias sensationes tamquam proprias percipit.
“Sensus communis est sicut communis radix et principium exteriorum sensuum.”⁵⁸
- *phantasia sive imaginatio* est quasi thesaurus quidam formarum per sensus acceptarum.⁵⁹
- *vis aestimativa* ordinatur ad apprehendendas intentiones quae per sensum non accipiuntur.
- *vis memorativa* est principium memorandi, thesaurus quidam intentionum, v.gr. quod est nocivum vel conveniens. Et ipsa ratio praeteriti, quam attendit memoria, inter huiusmodi intentiones computatur. Alia animalia percipiunt huiusmodi intentiones solum naturali quodam instinctu, homo autem etiam per quandam collationem. Haec cognitiones in animalibus dicuntur aestimativa naturalis, in homine dicitur cogitativa, quae per collationem quandam huiusmodi intentiones adinvenit.

2.3.3 *Potentiae intellectivae*

Thomas specialiter ad facultates intellectivas attentionem applicat. Eius problemata sequentia sunt:⁶⁰ utrum intellectus sit potentia animae, vel eius essentia? Si est potentia, utrum sit potentia passiva? Si est potentia passiva, an sit necessarium ponere aliquem intellectum agentem? Utrum sit aliquid animae? Utrum intellectus agens sit unus omnium? Utrum memoria sit in intellectu? Utrum sit alia potentia ab intellectu? Utrum ratio sit alia potentia ab intellectu? Utrum ratio superior et inferior sint diversae potentiae? Utrum intelligentia sit alia potentia praeter intellectum? Utrum intellectus speculativus et practicus sint diversae potentiae? Utrum synderesis sit aliqua potentia intellectivae partis?

⁵⁸ *Sth* 1. 78. 4. ad 1.

⁵⁹ Cf. *Sth* 1. 78. 4. c.

⁶⁰ Cf. *Sth* 1. q.79 aa.1-13

Ecce responsiones ad istas quæstiones:

Intellectus est aliqua potentia animæ, non ipsa animæ essentia. “In solo Deo autem idem est intelligere quod suum esse. Unde in solo Deo intellectus est eius essentia: in aliis autem creaturis intellectualibus intellectus est quædam potentia intelligentis.”⁶¹

Inetllectus noster est potentia passiva, quia omne quod exit de potentia in actum, potest dici pati, etiam cum perficitur. Et sic intelligere nostrum est pati.

Præter intellectum passivum habemus et intellectum agentem. Hic est aliqua potentia animæ. Hoc experimento cognoscimus, dum percipimus nos abstrahere formas universales a conditionibus particularibus, quod est facere actu intelligibilia. Nulla autem actio convenit alicui rei, nisi per aliquod principium formaliter ei inhærens. “Oportet virtutem quæ est principium huius actionis, esse aliquid in anima.”⁶²

Intellectus agens est unus in omnibus secundum pluralitatem animarum, quæ multiplicantur secundum multiplicationem hominum, quia “non potest esse quod una et eadem virtus numero sit diversarum substantiarum.”⁶³

In anima nostra sunt et potentiae memoriæ intellectivæ. Hæ sunt non diversæ (distinctæ) potentiae ab intellectu. Ad rationem potentiae passivæ pertinet conservare, sicut et recipere.⁶⁴ Sicut ratio – qua cogitamus – est aliqua potentia passiva sic est etiam memoria.

Ratio et intellectus in homine non sunt diversæ potentiae. Quod manifeste cognoscitur, si utriusque actus consideratur. “Intelligere enim est simpliciter veritatem intelligibilem apprehendere. Ratiocinari autem est procedere de uno intellecto ad aliud, ad veritatem intelligibilem cognoscendam.”⁶⁵

⁶¹ *Sth* 1. q.79 a.1c

⁶² *Sth* 1. q.79 a.4c; Cf. *Cont. Gent.* 2, 76, 78

⁶³ *Sth* q.79 a.5c

⁶⁴ Cf. *Sth* 1. q.79 a.7c, ib. q.93 a.7 ad 3; *De verit.* q.10 a.3; *Cont. Gent.* 2, 74

⁶⁵ *Sth* 1. q.79. a.8c; Cf. *De verit.* q.15. a.1

Ratio superior et inferior distinguntur per officia actuum, et secundum diversos habitus. Hæc est una et eadem potentia rationis. Superiori rationi attribuitur sapientia, inferiori vero scientia.

Intelligentia non est diversa potentia ab intellectu. Nomine intelligentia, pro Aquinate proprie significatur ipse actus intellectus qui est intelligere. Intelligentia vero, ab intellectu non distingitur sicut potentia a potentia, sed sicut actus a potentia.⁶⁶ Intelligentia est actus intellectus qui transcendit actum rationis. “Ratio tantum humani generis est, sicut intelligentia sola divini; proprium enim Dei est quod absque omni investigatione omnia intelligat.”⁶⁷

Intellectus practicus et speculativus non sunt duæ diversæ potentiae. Cuius ratio est quia, id quod accidentaliter se habet ad obiecti rationem quam respicit aliqua potentia, non diversificat potentiam. Intellectus speculativus est, qui aliquid apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem. Practicus vero intellectus dicitur, qui illud quod apprehendit, ordinat ad opus. “Speculativus differt a pratico, fine. Unde et a fine denominatur uterque: hic quidem speculativus, ille vero practicus, idest operativus.”⁶⁸

Conscientia secundum proprietatem vocabuli, importat ordinem scientiae ad aliquid, nam conscientia dicitur cum alio scientia. Applicatio autem scientiae ad aliquid fit per aliquem actum. Unde ex ista ratione nominis patet quod conscientia sit actus. Dicitur enim conscientia testificari, ligare vel instigare, et etiam accusare vel remordere sive reprehendere. Et hæc omnia consequuntur applicationem alicuius nostræ cognitionis vel scientiae ad ea quæ agimus. “Conscientia proprie loquendo, non est potentia, sed actus.”⁶⁹

⁶⁶ Cf. *Sth* 1. q.79. a.10c

⁶⁷ Ib. ad 2

⁶⁸ *Sth* 1. q.79 a.11c; Cf *De verit.* q.3 a.3; *Sent.* 3 d.23 q.2 a.3 q.^a2

⁶⁹ *Sth* 1. q.79 a.13c

2.4 Operatio facultatum animæ humanæ

2.4.1 *Quomodo anima, secundum præsentis vitæ statum, intelligit corporalia?*

Anima cognoscit corporalia per modum intellectus. Forma sensibilis alio modo est in re quæ est extra animam, et alio modo in sensu, qui suscipit formas sensibilium absque materia. Et similiter intellectus species corporum, quæ sunt materiales et mobiles, recipit immaterialiter et immobiliter, secundum modum suum. Nam “receptum est in recipiente per modum recipientis. Anima enim, per intellectum cognoscit corpora cognitione immateriali, universali et necessaria”⁷⁰ Ea est substantia spiritualis, non dependet de materia, quæ principium mutabile est.

Anima per essentiam suam corporalia non intelligit, scilicet præter essentiam in ea debet esse etiam aliquod additamentum. Materialia cognita in cognoscente existunt non materialiter, sed magis immaterialiter, quia actus cognitionis se extendit ad ea quæ sunt extra cognoscentem – cognoscimus enim etiam ea quæ extra nos sunt. Per materiam autem determinatur forma rei ad aliquid unum. Ratio cognitionis ex opposito se habet ad rationem materialitatis. “Quanto autem aliquid immaterialius habet formam rei cognitæ, tanto perfectius cognoscit. /.../ Et inter ipsos intellectus, tanto quilibet est perfectior, quanto immaterialior.”⁷¹

Si aliquis intellectus est qui per essentiam suam cognoscit omnia, oportet quod essentia eius habeat in se immaterialiter omnia. “Hoc autem est proprium Dei, ut sua essentia sit immaterialiter comprehensiva omnium, prout effectus virtute præexistunt in causa. Solus igitur Deus per essentiam suam omnia intelligit; non autem anima humana, neque etiam angelus.”⁷²

Species sensibiles anima non accipit ab aliqua substancia separata, ab aliquo intellectu agente omnibus hominibus communi, quia: “Et sic cæcus natus posset habere

⁷⁰ *Sth* 1. 84. 1c; Cf. parall. *De verit.* q.10 a.4

⁷¹ *Sth* 1. 84. 2c

⁷² Ib.

scientiam de coloribus: quod est manifeste falsum. Unde dicendum est quod species intelligibiles quibus anima nostra intelligit, non effluunt a formis separatis.”⁷³

Cognoscere – animæ intellectivæ – res materiales in rationibus æternis Thomas sic demonstrat⁷⁴: Aliquid in aliquo cognoscitur dupliciter. Uno modo, sicut in obiecto cognito. Et hoc modo anima, in statu præsentis vitæ, non potest videre omnia in rationibus æternis.

Alio modo dicitur aliquid cognosci in aliquo sicut in cognitionis principio. Et sic necesse est dicere quod anima humana omnia cognoscit in rationibus æternis, per quarum participationem omnia cognoscimus. Ipsum enim lumen intellectuale quod est in nobis nihil est aliud quam quædam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ.

Quia tamen præter lumen intellectuale in nobis, exiguntur species intelligibiles, a rebus acceptæ, ad scientiam de rebus materialibus habendam, ideo non per solam participationem rationum æternarum de rebus materialibus notitiam habemus, sicut Platonici posuerunt quoad scientiam habendam. Unde Augustinus dicit: “Numquid, enim quia verissime disputant, et documentis certissimis persuadent æternis rationibus omnia temporalia fieri, propterea poterunt in ipsis rationibus perspicere, vel ex ipsis colligere quot sint animalium genera, quæ semina singulorum in exordiis, qui modus in incrementis, qui numeri per conceptus, per ortus, per ætates, per occasus, qui motus in appetendis quæ secundum naturam sunt, fugiendis quæ contrariis? Nonne ista omnia, non per illam incommutabilem sapientiam, sed per locorum ac temporum historiam quæsierunt?”⁷⁵

Quomodo intellectiva cognitio accipitur a rebus sensibilibus, Thomas sic interpretatur: “Phantasmatum intellectualis operatio a sensu causatur. Sed quia phantasmatata non sufficiunt immutare intellectum possibilem, sed oportet quod fiant

⁷³ *Sth* 1. q.84 a.4c; Cf. parall. *De verit.* q.11 a.1

⁷⁴ Cf. *Sth* 1. q.84 a.5c; ib. q.12 a.11 ad 3; *De verit.* q.8 a. 7 ad 13; q.10 a.6 ad 6; a.8

⁷⁵ AUGUSTINUS, *De trinitate*, PL 42, 902

intelligibilia actu per intellectum agentem; non potest dici quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est materia causæ.”⁷⁶

Intellectus in actione sua convertit se ad phantasmata. “Impossibile est intellectum nostrum, secundum præsentis vitæ statum, quo passibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu, nisi convertendo se ad phantasmata.”⁷⁷ Intellectus humanus est coniunctus corpori, et eius proprium obiectum est quidditas sive natura in materia corporali existens. Ex hoc sequitur quod: “impossibile est quod sit in nobis iudicium intellectus perfectum, cum ligamento sensus, per quem res sensibiles cognoscimus.”⁷⁸

2.4.2 Quomodo et quo ordine intellectus cognoscit?

Intellectus noster intelligit res corporeas et materiales per abstractionem a phantasmatibus. Obiectum cognoscibile proportionatur virtuti cognoscitivæ. Triplex est gradus virtutis cognoscitivæ. Quædam enim virtus cognoscitiva est actus organi corporalis, scilicet sensus. Ideo obiectum cuiuslibet sensitivæ potentiae est forma prout in materia corporali existit. Et quia huiusmodi materia est individuationis principium, ideo omnis potentia sensitivæ partis est cognoscitiva particularium tantum. Est autem quædam virtus cognoscitiva quæ neque est actus organi corporalis, neque aliquo modo corporali materiæ coniuncta, (sicut intellectus angelicus). Et ideo huius virtutis cognoscitivæ obiectum est forma sine materia subsistens. Eo enim materialia cognoscit, non tamen nisi in immaterialibus ea intuentur, scilicet vel in seipsis vel in Deo. Intellectus autem humanus medio modo se habet, non enim est actus alicuius organi, sed tamen est quædam virtus animæ, quæ est forma corporis. Et ideo proprium eius est cognoscere formam in materia quidem corporali individualiter existentem, non tamen prout est in tali materia. “Cognoscere vero id quod est in materia individuali, non prout

⁷⁶ *Sth* 1. q.84, a.6c; *De verit.* q.10, a.6; q.19, a.1

⁷⁷ *Sth* 1. q.84. a.7c; *Infra* q.89, a.1; *Cont. Gent.* 2, 73, 81

⁷⁸ *Sth* 1. q.84. a.8

est in tali materia, est abstrahere formam a materia individuali, quam repräsentant phantasmata. Et ideo necesse est dicere quod intellectus noster intelligit materialia abstrahendo a phantasmatibus; et per materialia sic considerata in immaterialium aliqualem cognitionem devenimus, sicut e contra angeli per immaterialia materialia cognoscunt.⁷⁹

Species intelligibilis se habet ad intellectum ut id quo intellectus intelligit. Cum enim sit duplex actio: una quæ manet in agente, altera quæ transit in rem exteriorem, utraque fit secundum aliquam formam. Et sicut forma secundum quam provenit actio tendens in rem exteriorem, est similitudo obiecti actionis, similiter forma secundum quam provenit actio manens in agente, est similitudo obiecti. Unde similitudo rei visibilis est secundum quam visus videt; et similitudo rei intellectæ, quæ est species intelligibilis, est forma secundum quam intellectus intelligit.

Intellectus ad seipsum reflectitur, secundum eandem reflexionem intelligit et suum intelligere, et speciem qua intelligit. Et sic species intellectiva secundario est id quod intelligitur. Sed id quod intelligitur primo, est res cuius species intelligibilis est similitudo.⁸⁰

Cognitio intellectiva aliquo modo a sensitiva primordium sumit. Et quia sensus est singularium, intellectus autem universalium, consequitur quod cognitio singularium, quoad nos, prior sit cognitionum universalium.

Præterea intellectus noster de potentia in actum procedit. Omne autem quod procedit de potentia in actum, prius pervenit ad actum incompletum, qui est medius inter potentiam et actum, quam ad actum perfectum. Actus autem perfectus ad quem pervenit intellectus, est scientia completa, per quam distinete et determinate res cognoscuntur. Actus autem incompletus est scientia imperfecta, per quam sciuntur res indistincte. Quod enim sic cognoscitur, secundum quid cognoscitur in actu, est quodammodo in potentia. “Est ergo dicendum quod cognitio singularium est prior quoad nos quam

⁷⁹ *Sth* 1. q.85 a.1c; Cf. parall. ib. q.12 a.4; *Cont. Gent* 2, 77

⁸⁰ Cf. *Sth* 1. q.85 a.2c; *De verit.* q.10 a.9; *Cont. Gent.* 2,75; 4,11;

cognitio universalium, sicut cognitio sensitiva quam cognitio intellectiva. Sed tam secundum sensum quam secundum intellectum, cognitio magis communis est prior quam cognitio minus communis.”⁸¹

Ad quæstionem utrum possimus multa simul intelligere, Thomas respondet quod intellectus quidem potest multa intelligere per modum unius, non autem multa per modum multorum, per unam vel plures species intelligibiles. Quæcumque ergo intellectus potest intelligere sub una specie, simul intelligere potest et inde est quod “Deus omnia simul videt, quia omnia videt per unum, quod est essentia sua. Quæcumque vero intellectus per diversas species intelligit, non simul intelligit.”⁸²

Intellectus humanus cognoscit componendo et dividendo, sicut et ratiocinando quia non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem, sed primo apprehendit aliquid de ipsa, puta quidditatem ipsius rei, quæ est primum et proprium obiectum intellectus. Intellectus noster intelligit proprietates et accidentia et habitudines circumstantes rei essentiam. Et secundum hoc, necessario habet unum apprehensum alii componere vel dividere, et ex una compositione vel divisione ad aliam procedere, quod est ratiocinari.⁸³

Obiectum proprium intellectus est quidditas rei. Unde circa quidditatem rei, intellectus non fallitur. Sed circa ea quæ circumstant rei essentiam vel quidditatem, intellectus potest falli. Et propter hoc etiam circa illas propositiones errare non potest, quæ statim cognoscuntur cognita terminorum quidditate, sicut accidit circa prima principia, ex quibus etiam accidit infallibilitas veritatis, secundum certitudinem scientiæ, circa conclusiones. Ergo intellectus possit esse falsus si iudicat sine claris et distinctis conceptibus.⁸⁴

⁸¹ *Sth* 1. q.85 a.3c;

⁸² *Sth* 1. q.85 a.4; Cf. supra q.12 a.10; q.58 a.2; *De verit.* q.8 a.14; *Cont. Gent.* 1, 55

⁸³ *Sth* 1. q.85 a.5c; supra q.58 a.4

⁸⁴ Cf. *Sth* 1. q.85. a.6; *De verit.* q.1 a. 12; *Cont. Gent.* 1, 59; 3, 108

Utrum intellectus per prius intelligat indivisibile quam divisibile quia obiectum intellectus nostri, secundum præsentem statum, est quidditas rei materialis, quam a phantasmatisbus abstrahit. Et quia “id quod est primo et per se cognitum a virtute cognoscitiva, est proprium eius obiectum, considerari potest quo ordine indivisibile intelligatur a nobis, ex eius habitudine ad huiusmodi quidditatem.”⁸⁵

2.4.3 *Quid intellectus noster in materialibus cognoscit?*

Intellectus noster cognoscit singularia, sed non directe quia principium singularitatis in rebus materialibus est materia individualis. Intellectus autem noster intelligit abstrahendo speciem intelligibilem ab huiusmodi materia. Quod autem a materia individuali abstrahitur, est universale. Unde intellectus noster directe non est cognoscitivus nisi universalium.

Indirecte autem, et quasi per quandam reflexionem, potest cognoscere singulare quoniam etiam postquam species intelligibles abstraxit, non potest secundum eas actu intelligere nisi convertendo se ad phantasmatum, in quibus species intelligibles intelligit. Sic igitur ipsum universale per speciem intelligibilem directe intelligit; indirecte autem singularia, quorum sunt phantasmatum.⁸⁶

Intellectus noster non potest cognoscere infinita actu vel habitu. In intellectu nostro invenitur infinitum in potentia, quia numquam intellectus noster tot intelligit, quin possit plura intelligere.

In contingentibus intellectus cognoscit necessarium. Contingentia, prout sunt contingentia, cognoscuntur directe quidem a sensu, indirecte autem ab intellectu. Rationes autem universales et necessariæ contingentium cognoscuntur per intellectum. “Unde si attendantur rationes universales scibilium, omnes scientiæ sunt de necessariis.

⁸⁵ *Sth* 1. q.85 a.8c; Cf. supra q.11 a.2 ad 4

⁸⁶ Cf. *Sth* 1. q.86 a.1c; *De verit.* q.2 a.5,6; q.10 a.5; *Cont. Gent.* 1, 65

Si autem attendantur ipsae res, sic quædam scientia est de necessariis, quædam vero de contingentibus.”⁸⁷

Intellectus etiam potest habere aliqualem cognitionem futurom. Nam ipsa futura ut sub tempore cadunt, sunt singularia, quæ intellectus humanus non cognoscit nisi per reflexionem. Rationes autem futurorum possunt esse universales, et intellectu perceptibiles: et de eis etiam possunt esse scientiæ. Futura autem possunt cognosci dupliciter: uno modo, in seipsis; alio modo, in suis causis. In seipsis quidem futura cognosci non possunt nisi a Deo, cui sunt præsentia dum in cursu rerum sunt futura, inquantum eius æternus intuitus simul fertur supra totum temporis cursum. Sed prout sunt in suis causis, cognosci possunt etiam a nobis. Et si quidem in suis causis sint ut ex quibus ex necessitate proveniant, cognoscuntur per certitudinem scientiæ. Si autem sic sint in suis causis ut ab eis proveniant ut in pluribus, sic cognosci possunt per quandam coniecturam vel magis vel minus certam.⁸⁸

2.4.4 Quomodo anima intellectiva seipsam, stationes et operationes suas cognoscit?

Anima intellectiva cognoscit seipsam, inquantum aliquid aliud cognoscit. Sed quia connaturale est intellectui nostro, ‘secundum statum præsentis vitæ’, quod ad materialia et sensibilia respiciat, consequens est ut sic seipsum intelligat intellectus noster, secundum quod fit actu per species a sensibilibus abstractas. Intellectus noster cognoscit se per actum suum, non per essentiam suam.

Et hoc dupliciter. Uno quidem modo, particulariter, alio modo, in universalis, secundum quod naturam humanæ mentis ex actu intellectus consideramus. Nam ad primam cognitionem de mente habendam, sufficit ipsa mentis præsentia, quæ est principium actus ex quo mens percipit seipsam. Sed ad secundam cognitionem non

⁸⁷ *Sth* 1. q.86. a.3c; Cf. *De verit.* q.15 a.2

⁸⁸ Cf. *Sth* 1. q.86 a.4, q.57 a.3; 2-2 q.95 a.1; q.172 a.1; *Cont. Gent.* 3, 154

sufficit eius præsentia, sed requiritur diligens et subtilis inquisitio. Hæc est ratio quod multi naturam animæ ignorant, et multi etiam circa naturam animæ erraverunt.⁸⁹

Intellectus noster cognoscit habitus animæ per essentiam eorum dupliciter: Prima quidem cognitio habitus fit per ipsam præsentiam habitus, (quia ex hoc ipso quod est præsens, actum causat, in quo statim percipitur). Secunda autem cognitio habitus fit per studiosam inquisitionem.⁹⁰

“Intellectus humanus, qui nec est suum intelligere, nec sui intelligere est obiectum primum ipsa eius essentia, sed aliquid extrinsecum, scilicet natura materialis rei. Et ideo id quod primo cognoscitur ab intellectu humano, est huiusmodi obiectum; et secundario cognoscitur ipse actus quo cognoscitur obiectum; et per actum cognoscitur ipse intellectus, cuius est perfectio ipsum intelligere.”⁹¹

Intellectus intelligit actum voluntatis. Actus voluntatis nihil aliud est quam inclinatio quædam consequens formam intellectam. Sicut appetitus naturalis est inclinatio consequens formam naturalem, inclinatio intelligibilis – quæ est actus voluntatis – est intelligibiliter in intelligente, sicut in principio et in proprio subiecto. “Quod autem intelligibiliter est in aliquo intelligente, consequens est ut ab eo intelligatur. Unde actus voluntatis intelligitur ab intellectu, et in quantum aliquis cognoscit naturam huius actus, et per consequens naturam eius principii, quod est habitus vel potentia.”⁹²

2.4.5 *Quomodo anima humana cognoscit ea quæ supra se sunt?*

Anima humana, secundum statum vitæ præsentis, non potest intelligere substantias immateriales per seipsas. “Uterque ergo intellectus se extendit, secundum statum præsentis vitæ, ad materialia sola; Quæ intellectus agens facit intelligibilia actu,

⁸⁹ Cf. *Sth* 1. q.14 a.2 ad 3; q.87 a.1c; *De verit.* q.8 a.6; q.10 a.8; *Cont. Gent.* 2,75; 3,46

⁹⁰ Cf. *Sth* 1. q.87 a.2c; *De verit.* q.10 a.9

⁹¹ *Sth* 1. q.87.a.3c; Cf. *De verit.* q.10 a.9; *Cont. Gent.* 2, 75

⁹² *Sth* 1. q.87 a.4c; Cf. ib. q. 82 ad 1

et recipiuntur in intellectu possibili. Unde secundum statum præsentis vitæ, neque per intellectum possibilem, neque intellectum agentem, possumus intelligere substantias immateriales secundum seipsas.”⁹³ scilicet intuitive.

Intellectus noster per cognitionem rerum materialium non potest pervenire ad intelligendum substantias immateriales. Quantumcumque intellectus noster abstrahat quidditatem rei materialis a materia, numquam perveniet ad aliquid simile in substantia immateriali quia substantiæ immateriales sunt omnino alterius rationis a quidditatibus materialium rerum. Et ideo per substantias materiales non possumus perfecte substantias immateriales intelligere.⁹⁴

Deus non potest esse primum quod a mente humana cognoscitur quia cum intellectus humanus, secundum præsentis vitæ statum, non potest intelligere substantias immateriales creatas. Deinde multo minus potest intelligere essentiam substantiæ increatae. Unde simpliciter dicendum est quod Deus non est primum quod a nobis cognoscitur; sed magis per creature in Dei cognitionem pervenimus.⁹⁵ “Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.”⁹⁶

⁹³ *Sth* 1. q.88. a.1c; *De verit.* q.10 a.11; a.5 ad 7, 8; *Cont. Gent.* 2,60;

⁹⁴ *Sth* 1. q.88 a.2c; *De verit.* q.18 a.5 ad 6; *Cont. Gent.* 3,41; *De causis* c. 7

⁹⁵ Cf. *Sth* 1. q.88 a.3c

⁹⁶ *Rom* 1, 21 (citatio paulo abbreviata).

3 INTELLIGERE

3.1 Processus cognitionis humanæ

Cognitio humana contingit inter duas formas sive duos limites: unus materialis est – sensus, alter spiritualis – intellectus. In ipso principio cognitionis est sensus, ut effectus alicuius rei cognoscibilis. Ad accipiendam hanc formam rerum cognoscibilum est *sensus proprius*⁹⁷. Fit communicatio interiorum et exteriorum sensuum – sensus sextus – *sensus communis*⁹⁸. Hic facit *species sensibiles* vel *phantasmata* quæ monstrantur intervallo in spatio et temporalibus qualitatibus rerum. In actione venit actus intellectus nostri: intellectus activi et passivi. Intellectus agens in agendo illuminat istam imaginem materialem et in ea legit essentiam – quidditas sive natura – facit species intelligibiles – conceptus – et imprimit istam speciem in intellectu paciente ubi manet conservatus. “Species conservatae in intellectu possibili, in eo existunt habitualiter quando actu non intelligit.”⁹⁹

Intellectus accipit speciem intelligibilem ut formam intelligibilem – ea dicit id quid res est – *quidditas* – essentiam entis ut entis. Sed ut perveniat ad intelligendum actu, non sufficit ipsa conservatio specierum, sed oportet quod eis utamur secundum quod convenit rebus quarum sunt species quæ sunt naturæ in particularibus existentes.¹⁰⁰

Omnis iste processus potest intelligi ut abstractio, quia abstrahitur universale ab individuali, formale a materiali.

3.2 Cognitio

Cognitio est talis operatio quæ manet in ipso subiecto ut eius actus et perfectio. Cognitio obtinetur si subiectum et obiectum obviam veniunt, et adæquantur, quod est

⁹⁷ *Sensus proprius* – iudicat de sensibili proprio, discernendo ipsum ab aliis quae cadunt sub eodem sensu. Cf. *Sth* 1. q.78. a.4. ad 2.

⁹⁸ *Sensus communis* - est communis radix et principium exteriorum sensuum. Cf. *Sth* 1. q.78 a.4c i ad 1.

⁹⁹ *Sth* 1. 84. 7. ad 1.

¹⁰⁰ Cf. ib.

possibile si cognitio actuatur. “Sensibile in actu est sensus in actu, et intelligibile in actu est intellectus in actu. Ex hoc enim aliquid in actu sentimus vel intelligimus, quod intellectus noster vel sensus informatur in actu per speciem sensibilis vel intelligibilis. Et secundum hoc tantum sensus vel intellectus aliud est a sensibili vel intelligibili, quia utrumque est in potentia.”¹⁰¹

Cognoscens et cognoscibile identificantur in uno punto hoc est in specie. Intelligere est semper actus aliquis. Non sufficit habere facultatem cognitionis, sed debet esse actualis.¹⁰²

Hæc est definitio veritatis: ‘adæquatio intellectus et rei’. Quando est intellectus noster in actu tum habemus cognitionem in actu. Id est possibile quando adæquatur cum illo quod cognoscitur, sed hoc non potest esse, nisi est species illius quod accipitur, quæ est extracta ex aliqua re.

Omnis cognitio est aliqua possilitas – cognoscendo accipio aliquam informationem – et mutatio in me. Omnis autem mutatio nihil est nisi aliqua forma – per eam accipitur aliqua nova destinatio. Per cognitionem non mutatur nec materia nec forma, sed mutatur esse cognoscens. “Intelligere est motus qui est actus imperfecti, qui est ab alio in aliud: sed actus perfecti, existens in ipso agente.”¹⁰³ Is perficitur, eum facit perfectum id quod intelligibile est. Subiectum per istam speciem intelligibilem movetur, quæ cognitio est assimilatio et adæquatio cum eo quem cognoscimus. Ea non est operatio quæ dirigitur in exteriorem effectum, obiectum operationis, quod est ut terminus, et est aliquid extra operantem, tamen in operationibus quæ sunt in operante, obiectum quod est ut terminus operationis, est in ipso operante, et secundum quod est in eo, sic est operatio in actu. “Sicut enim esse consequitur formam, ita intelligere sequitur speciem intelligibilem.”¹⁰⁴

¹⁰¹ *Sth* 1. q.14 a.2c.

¹⁰² Cf. *Sth* 1. 84. 7. ad 1.

¹⁰³ Ib.

¹⁰⁴ *Sth* 1. q.14 a.4c & Cf. *Sth* 1. q.84 a.7 ad 1

“Similiter etiam quod intellectus perficiatur ab intelligibili vel assimiletur ei, hoc convenit intellectui qui quandoque est in potentia; qui per hoc quod est in potentia, differt ab intelligibili, et assimilatur ei per speciem intelligibilem, quæ est similitudo rei intellectæ, et perficitur per ipsam, sicut potentia per actum.”¹⁰⁵

Intellectus noster non potest habere aliquam operationem intelligibilem nisi in quantum perficitur per formam intelligibilem aliam, et cognoscit seipsum per hanc formam intelligibilem aliam. “Intellectus noster non intelligit se, nisi sicut intelligit alia!”¹⁰⁶ Ex hoc quod intellectus intelligit aliquid cognoscibile, cognoscit suum intelligere (cognoscit conscientiam suam). Et per hunc actum cognoscit et suam intellectualem facultatem. “Intelligere non est operatio exiens ab ipso operante, sed manens in ipso.”¹⁰⁷

Materia sine forma non est cognoscibilis. Solum spirituale agit in spiritum. Materia id non potest. si non haberet spiritualem nexum, esset ‘nihil’ in intellectu nostro. Hic nexus spiritualis forma est quia est actus materiae. Materia pura est ipso potentia. Cum accipit formam, fit actualis. Forma aliquomodo ‘complectitur’ materiam. Materia est potentia – ‘possibilitas’ – quæ accipiendo formam tantum per illam inducit in actum. Sed est in potentia accipere aliquam aliam formam. Aliqua forma substantialis potest accipere et mutationes accidentales, non mutando substantiam. Formæ sunt quæ semper fluunt, materia est semper eadem.

Intellectus noster omnia sua accipit e materialibus, a rebus ‘realibus’ (id est sensibilibus), quæ habent in se semen spiritus – formam – deinde hoc ‘lumen’ illuminat nos in cognitione nostra.

Cognitionem sensibilem faciunt elementa duo: res ‘reales’ et vis spiritualis, quæ agit in organo sensibili. Vis spiritualis non facit obiecta nostræ cognitionis sensibilis

¹⁰⁵ *Sth* 1. q.14 a.2.

¹⁰⁶ Ib.

¹⁰⁷ *Sth* 1. q.14 a.4 ad 1

sola a se, sed debent res exteriores quodammodo constituere eam. Res exteriores sunt ante cognitionem actualem et per actionem harum fit actualis cognitio.¹⁰⁸

Sensibilia movent et agunt in sensus, et ita sensus accipiunt instigationem. Cognitio humana ita constructa est ut “non possit homo sentire absque exteriori sensibili.”¹⁰⁹ Organum sensus movetur et patitur in sentiendo, sed ab exteriori sensibili. Illud autem quo patitur est sensus. Sensus est virtus passiva ipsius organi. Anima sensitiva non se habet in sentiendo sicut movens et agens, sed sicut id quo patiens patitur. Aquinas enim dicit quod sensibilia secundum suam naturam nata sunt apprehendi per sensum, sicut intelligibilia per intellectum. Omnis igitur substantia cognoscitiva ex sensibilibus cognitionem accipiens, habet cognitionem sensitivam, et per consequens habet corpus naturaliter unitum, cum cognitio sensitiva sine organo corporeo esse non possit.¹¹⁰

Cognitio rerum enim est in hoc quod sensus habent eam similitudinem.¹¹¹ Hæc similitudo est in hoc quod omnis sensus habet suum obiectum proprium cognitionis (visus per colores, auditus per sonos,...) ideo sunt in potentia afferre – et afferunt – iudicium de sensibilibus. “Sensus proprius iudicat de sensibili proprio, discernendo ipsum ab aliis quæ cadunt sub eodem sensu.”¹¹² Si necesse est facere differentiam inter duo sensibilia, tunc istud non facit sensus proprius. Necesse est, quidem, quod ille qui facit differentiam inter duas res diversas (sensibile proprium), utramque rem cognoscat. Unde oportet ad sensum communem pertinere discretionem iudiciorum, ubi omnes cognitiones continentur.

Sensus communis etiam cognoscit et impressiones sensibiles, quod sensibile proprium non potest efficere, quia sensus proprius cognoscit ipsam formam sensibilem,

¹⁰⁸ Cf. S. ZIMMERMANN, *Opća noetika*, pg. 368

¹⁰⁹ *Cont. Gent.* 2. 57.

¹¹⁰ Cf. *Cont. Gent.* 2. 96.

¹¹¹ Cf. *Sth* 1. q.17 a.2c

¹¹² *Sth* 1. q.78 a.4 ad 2.

per quam subiecta est mutationi. In hac mutatione completur visio ex qua sequuntur aliæ mutationes in sensibili proprio, quo fit ut cognitio ista ut talis a subiecto percipiatur.

Licet intellectus operatio oriatur a sensu, tamen in re apprehensa per sensum intellectus multa cognoscit quæ sensus percipere non possunt.¹¹³

Res sensibiles agentes in sensum faciunt mutationem in ipso organo et agunt in animam, “ex qua immutatione anima quodammodo excitatur ut in se species sensibilium formet.”¹¹⁴ Anima humana indiget sensibus, quia “qui caret sensu aliquo, non habet scientiam de sensibilibus quæ cognoscuntur per sensum illum.”¹¹⁵

Ut το intelligere actuari possit, debent res ‘reales’ in virtute sensibili animæ facere aliquam mutationem. Ista actio conciliat inter rem ‘realem’ et actum cognitionis in quantum facit concordiam (consensum) inter sensibilem rationem et rem, quia sine hac concordia non potest loqui de vera cognitione. Ideo hæc mutatio non est nisi causa vel species ipsius obiecti. Anima cognoscit omnia quæ sunt extra eam per species sensibiles quæ sunt præsentes in anima quasi compensatio quædam ipsorum obiectorum.

¹¹³ Cf. ib. et ad 4.

¹¹⁴ *Sth* 1. q.84 a.6

¹¹⁵ *Cont. Gent.* 2, 83; Cf. *Sth* 1. q.84 a.6

CONCLUSIO SIVE QUOMODO VERITAS HOMINEM LIBERAT

Profunde in radice entis humani ‘nostalgia’ magna iacet: appetitus perpetuus et indagatio in res aliquas. Perpetuo cupit homo aliquid comprehendere, videre, alicui occurrere acsi in principio vitæ aliquid pulchri et vitæ necessarii amiserit, attamen hoc invenire et comprehendere nequit!

Homines mystici dicerent istud perpetuum quærere, esse Originem quærere, ‘paradisum amissum’, vel ‘fortunam amissam’ in principio generis humani. Et mansit solum ‘vulnus’ aliquod originale quod cruciat et quietem usque ad comprehensionem Finis proprii non dat.

Manet in eo aliquid quo Creatori suo et ideæ propriæ similis est. Hoc est vero anima eius. “*Anima est quodammodo omnia entia.*”¹¹⁶ Anima est hoc ‘apertum’ entis ad omne id quod est, quod exsistit. Unde in homine perpetuum desiderium hoc apprehendi appetit. Movere et agere entis vivi ex cognitione oritur. Obiectum nostræ humanæ cognitionis potest esse omne ens: eo pertinet omne attingibile in toà esse horizonte – ideo homo in cognitione sua est infinitus. “Intellectui humano impervium est ‘omne et solum’ de quo ‘est’ prædicari nequit, quod non est, quod deficit.”¹¹⁷

Nos qua homines non possumus omnia insimul cognoscere, idest diversas cognitiones habemus. “Intelligere est quoddam pati et moveri!”¹¹⁸ At præcise motu quodammodo imperfectionem et indefinibilitatem significat. Cum enim homini movendum est, tunc versus id, quod ipse non habet, quod ipsi non sufficit movetur. Hic est ille appetitus humanus, qui eum agitat semper ad aliquo versus progrediendum et aliquid erigendum, ad aliquid acquirendum seseque locupletandum numquam cum acquisito contentum. Iste est appetitus qui solum in Infinito quiescit. Immo vero, dynamismus mentis humanæ provenit seu “profluit ex vocatione Dei in quantum Deus

¹¹⁶ ARISTOTELIS, *Tractatus de anima*, 431b. 21

¹¹⁷ M. BELIĆ, *Ontologia*, 615

¹¹⁸ *Sth* 1. q.14 a.2

bonus et desiderabilis est. Deus ad hanc nobilitatem et bonitatem proprii esse non est ‘veluti cæcus’, seu non ‘tactus’ [...], atquæ inquantum talis – idest veluti non ‘cæcus’ et non ‘non tactus’ quoad istam supremam et subsistentem bonitatem – fundamentum cuiuslibet dynamismi in creatis necnon exemplar quod ‘reproducit’ dynamismus creaturarum ad instar ‘negativi operis plastici’ ipsius Dei dynamici [...] ‘Impulsus’ iste qui est infinitus – quia provenit ab Infinito et tendit ad Infinitum – atque ditissimus in concreto manifestatur cum voluntas ad singula eius obiecta accedit. At ‘accumulatores electricitatis’ haud deficiente quantitate impleti sunt, quantitate quæ par sit impulsui talem finem quærenti, eo quod Deus hominem – eius intellectu et voluntate – apertum totalitati ipsius esse voluit. Hæc est participatio seu imitatio, et quidem sensu eminenti, Actus Puri Divini! Hæc est origo istius amplissimæ [...] potentiae activæ homini concessæ.”¹¹⁹ Per hoc anima humana est progressive aperta amplo et infinito horizonti toà Esse. Ideo intellectus perpetuo exponitur pati, quia perpetuo sinit se agendum ab aliis, seu accipit formam ab alio. Sed intelligere dependet de cognoscente! “Scientia est secundum modum cognoscentis: scitum enim est in scientie secundum modum scientis.¹²⁰ Non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum.”¹²¹ Per cognitionem formam alicuius alterius apprehendimus, dum ens non cognoscens formam alterius entis accipere nequit. “...Cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius, nam species cogniti est in cognoscente. [...] natura rei non cognoscentis est magis coarctata et limitata: natura autem rerum cognoscentium habet maiorem amplitudinem et extensionem. [...] formæ, secundum quod sunt magis immateriales, secundum hoc magis accedunt ad quandam infinitatem.”¹²² In homine perpetuo nuntiatur appetitus qui hoc infinitum comprehendit. In fine is perpetuo appetit occursum. Homo est ens occursum – ens sociale. In occursu eius fortuna vel infelicitas gignitur, paradisus vel infernis in anima ea. Sed homo inhiberi nequit a quibuslibet entibus

¹¹⁹ M. BELIĆ, *Metafizička antropologija*, 351

¹²⁰ *Sth* 1. q.14 a.1 ad 3

¹²¹ *Sth* 1. q.14 a.1c

¹²² Ib.

singularibus. Sed etiam quando aliquid valde magnum consequitur, ubi primum – etsi ad brevissimum momentum – consecutus, contingentiam experitur, appareat statim appetitus irresistibilis Totalitatis, et quidem nec particulatæ nec divisæ sed qualis est in ipso supremo esse omnium.¹²³

Hic est radix omnis eius infelicitatis, desperationis, tristitiae. Homo perpetuo inhibetur et glutinatur a contingentibus, desiderans eadem tantum pro se conservanda. Sed omnis cruciatus humani origo in hoc consistit: videre quasi perpetuo id, quod in essentia contingens est. Ideo homo ad privationem perpetuam damnatus est. Rursus et iterum inquietum cor suum a creaturis separare debet, donec in *Ipsa Esse* et in *creaturarum omnium Creatore* quiescat. “Quælibet pars [...] ‘peregrinationis’ veritatis, signata est vehementi impetu versus Deum, ‘nostalgia’ quærente Plenitudinem ex qua ortum habet et ad quam tendit, in qua requiescat. Revera quilibet occursus cum veritate sanctus est. Quærere veritatem est quasi quædam veritatis liturgia!”¹²⁴

Sed, homo veritatem non amat. Veritas est difficilis, gravis, ipsi cruciamentum morosum. Is libentius vivit vel in *præteritis* vel in *futuro*, sed numquam – nisi rarissimum – in *hoc tempore* (*in preæsentiis*), veritatem ‘facie ad faciem’ inspiciens.

Lacrimat super ea quæ ruerunt et quæ numquam amplius revertuntur, timorem *præ futuris* habens. Sed futurum est ‘laqueus’ qui multos ‘sepelivit’. Unde tot desperationes, tot dejectiones? Utrum realitas mutatur an veritas? Sed veritas una esse dicitur. Error in hoc consistit quod homo non in contactu cum veritate, sed in illusionibus suis vivit. Is veritati semper additamentum aliquod addit, et cum comperit hoc additamentum – hanc illusionem – non esse, non existere, manente veritate nuda, tunc amissionem proprii additamenti dolet. Triste est homini videre quomodo omnes illusiones eius, omnia somnia eius quæ ædificavit et super quorum existentiam vigilavit intereunt! Numquam autem amissionem alicuius rei quacum ligati non fuimus deploramus neque id in possessione nostra habere conati sumus. Dolor signum est, nos

¹²³ Cf. ib. 418, 567

¹²⁴ M. BELIĆ, *Ontologia*, 631

fortunam nostram in dependentiam de aliqua re vel persona posuisse. Et si delusus et mæstus es, omnes causam videre possunt: vita tibi non dat id, sine quo – sic credis – beatus esse non potes. Aquinas dicit falsitatem in hoc esse quod vis cognoscitiva species producit de aliqua re, quæ in rebus non adæquatur.¹²⁵ Tunc res non quales sunt videmus, sed quales nobis desiderabiles essent. Talis est homo! Tres sunt ‘transfusoria’ (*'filters'*) quæ in cognitionem nostram influant: adligationes, persuasiones, timores. Adligationes et timores hominis determinant, quid ille aspecturus et quæ prosecturus est. Quælibet quæ ab ipso percipiuntur, potestatem in hominis attentionem exercent. Qæcumque in perceptionem eius cadunt, irrealia, non vera sunt. Et quo diutius cum hoc falsificato aspectu vivit, eo magis persuasus fit eundem unicam mundi esse speciem, quia adligationes eius et timores data in mentem advenientia elaborant modo, qui perceptionem hominis confirmant. Heic convictionum humanarum fons, consuetarum, incorrigibilium aspectuum in realitatem, quæ ab extra nec consueta neque incorrigibilia sunt, sed in perpetuo motu et mutationibus consistunt. Unde hic non est amplius verus mundus in quo vivit homo et quem amat, sed mundus ab eiusdem intellectu fictus.

Ut in veritate homo felix sit, unicum opus ipsi faciendum: sese nempe ab illusionibus liberandi, a suis adligationibus deglutinandi. Sed cum homines huic per se claræ veritati occurront, exhorrescant cogitatione de dolore in valedicendo illusionibus, adligationibus persuasionibusque propriis. Homo liberari, ab illusionibus sanari nequaquam vult. Servire mavult! Instrumentum vero liberationis dictæ non voluntatis vigor sed cognitio est! Homini oculi aperiendi sunt et se captum esse comprehendere, clare videre se obiecto adligationis suæ non egere, extra se existere neque personam neve rem quæ eum felicem respective infelicem reddere potest. Utrum homo conscient de necessitate dicta foret necne, decernit ipse et tantum ipse æque utrum felix an infelix esse vult.¹²⁶ In præterito, in illusionibus vivere significat de ‘*ligno cognitionis boni et mali*’ omissa colligere, et de ‘*ligno boni et mali*’ edere significat e paradiſo Eden expulsum esse, e statu felicitatis immitilatæ et beatitudinis excidi. Ubi primum homo

¹²⁵ Cf. *Sth* 1. q.17 aa. 1-4

¹²⁶ Cf. ib. pg. 10-12

realitatem – talem qualis est – contemplari incipit cum intellectus et realitas adæquantur, cum ‘facie ad faciem’ veritati occurrit, comprehendet vim Christi dicti: “veritas liberabit vos!”¹²⁷

Veritas liberat, cognitio hominem definit!

Per cognitionem homo supra bruta elevatur et in alta ascendit. Cognitio est operatio quæ in ipso subiecto ut actuatio eius et perfectio manet.

Ab angelis homo ratione differt. Quæ intellectus nostri (humani) activitas discursione agit et ad tempus pertinet dummodo ipse intellectu, ratione ‘largior’ est, directe realitatem inspicit: intus legit.

Per cognitionem homo neque dives neque pauper sed simul uterque est. Pauper, ideo permanenter ei mendicandum a sensibus est. Si (et in quantum) sensus deficiunt, etiam hominis cognitio deficit. Dives est quod tanta coram ipso prostant ut thesaurus apertus omnium cognitionis divitiarum.

Per cognitionem homo est id quod est: ne brutum ne angelus quidem, sed in semetipso paradoxon benedicti–maledicti utrumque portans, plus–minusve feliciter inter duarum extremitatum fines: cadens de culminibus tamen incessanter cogitat et somniat, et ascendens casum appetit (concupiscit)! Sic æternus vagabundus et peregrinus fit in numquam sufficienter mota cognitionis semita, quærendo et inveniendo unicam proprii desiderii satisfactionem in ‘Eo qui EST’.

¹²⁷Io 8, 32

BIBLIOGRAPHIA

Acta secundi congressus thomistici internationalis, (Taurini 1937).

ARISTOTELIS, “Ethicorum ad Nicomachum”, in *Opera omnia*, tomus II, continens ethicam, politicam, oeconomicam (Parisiis 1886).

ARISTOTELIS, *Tractatus de anima*, græce et latine (Roma, 1965).

AURELIUS AUGUSTINUS; *De trinitate*, Patrologia latina, vol. 42

AURELIUS AUGUSTINUS; *De civitate Dei*, Patrologia latina, vol. 41

COPLESTON, F. C; *Aquinas*, penguin books

BELIĆ, Miljenko; *Metafizička antropologija*, (Zagreb: FTI ⁶1995)

BELIĆ, Miljenko; *Ontologija*, (Zagreb: FTI 1982).

KOPLSTON, Frederik; *Istoriјa filozofije*, vol. II – srednjovekovna filozofija, [transl. Jovan Babić], BIGZ, Beograd, 1989.

PICO DELLA MIRANDOLA, Giovanni; *De hominis dignitate*: lateinisch–deutsch–Über die Würde des Menschen, Philosophische Bibliothek; vol. 427 (Hamburg: Meiner 1990).

ŠANC, Franjo; *Povijest filozofije II*, (Zagreb: Život, 1941).

THOMAS Aquinas; *In Aristotelis libros Peri hermeneias et Posteriorum Analyticorum expositio*, (Marietti: Taurini, ²1964).

THOMAS Aquinas; *In Boethii de hebdomadibus*, S. Thomæ Aquinatis opera omnia, vol. 4. commentaria in Aristotelem et alios, Indicis Thomistici supplementum (Frommann–Holzboog, 1980).

THOMAS Aquinas; *In I Sententiarum*, S. Thomæ Aquinatis opera omnia, vol. 1. in quattuor libros, sententiarum, Indicis Thomistici supplementum (Frommann–Holzboog, 1980).

THOMAS Aquinas; *Liber de causis et sancti Thomæ de Aquino super librum de causis expositio*, in linguam japonicam translati, Textus latinus parallele editus (Kyoto, Japonia, 1967).

THOMAS Aquinas; *Summa Theologiæ*, pars I, Biblioteca de autores cristianos, vol. 77 (Matriki, ³1961).

THOMAS Aquinas; *Summa Theologiæ*, pars II^a II^e, (Marietti, 1962).

Bibliographia

THOMAS Aquinas; *Quæstiones disputatæ*, tomus I, *De veritate*, editio 8 revisa, (Marietti, Taurini/Romæ, 1949).

TOMA Akvinski; *Suma protiv pogana – Summa contra gentiles*, lat. et cro. text., transl. p. Augustin Pavlović, O.P., (Zagreb: KS 1993).

TOMA Akvinski; *Izabrano djelo*, izabrao i priredio p. Tomo Vereš, OP, (Zagreb: Globus 1978).

TOMA Akvinski; *Izbor iz djela*, vol. 1. et 2. (Zagreb: Naprijed, 1990).

ZIMMERMANN, Stjepan, *Opća noetika*, (Beograd, Državna štamparija kraljevine SHS, ²1926).